# DE EREBINTHO▸ CAP▸ CI▸

C

## NOMINA.

ΕΡΕΒΙΝΘΟΣ græcè, Cicer latinè, officinæ latinum nomen retinuerunt, germanicè ʒyſſern nominatur.

## GENERA.

Tria præcipua ſunt Cicerum genera, album, ruſum & nigrum. Nos ex iſs tribus nigri tantum picturam damus. Differunt potiſsimum in floribus: hoc enim ut cernis purpureos, album uerò candidos flores producit.

## FORMA.

Cicer ſatiuum caule eſt lignoſo, obliquo, foliſs exiguis, multis, circinatis, flore albo uel purpureo, ſiliquis rotundis, radice tenui & non admodum longa.

## LOCVS.

Pullo craſſoq; ſolo gaudet.

## TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio menſibus, atq; ſubinde in ſiliquis ſemen producit.

## TEMPERAMENTVM.

Calidum & ſiccum eſt primo in ordine.

## VIRES. EX DIOSCORIDE.

Cicer ſatiuũ bonam facit aluum, urinam cit, inflationes parit, cutis colorem commendat, menſes & fœtus educit, lac auget. Cum Eruo decoctum illinitur ad inflammationes teſtium & myrmecias. Ad ſcabiem, achoras, impetigines, ulcera concreſcentia & maligna, cum hordeo & melle. Alterum genus arietinum nominatur. Vtrunq; cit urinas, dato cum Roſmarino contra regium morbũ & cutem ſubeuntes aquas eorum decocto. Lędunt autem ueſicam exulceratã & renes. Contra myrmecias & acrochordonas iubent aliqui noua luna ſingula earum capita eminentiásue ſingulis Ciceribus tangere, deligataq; in lintheolo ſemina illa poſt ſe abíjcere, ut acrochordones decidant.

D

## EX GALENO.

Cicer legumen eſt flatuoſum quod nutrire poteſt, aluo mouendæ habile, ciendæ urinę idoneũ, & ſemini generando aptum. Prolicit uerò & menſes. Porrò quod uocatur arietinum, cæteris efficacius urinam prouocat. Decoctum eius calculos renum confringit. Reliquum autem Cicerum genus quod Orobiæũ uocant, eadem ui pollet, puta attrahendi, digerendi, incidendi, extergendi. Lienem & iecur, & renes expurgant, ſcabiesq; & impetigines extergunt. Parotidas & teſtes induratos diſcutiunt. Maligna etiam ulcera cum melle ſanant.

## EX SYMEONE ANTIOCHENO.

Cicera difficulter concoquunt & excrementa gignunt. Venerem ſtimulant, magisq; quàm fabæ nutriunt, obſtructiones tollunt, & menſes educunt. Habent ſalſam ſimul & dulcem qualitatẽ, & ob ſalſuginem uentrem mouent, propter dulcedinem autem urinam. Inflationes quoq; faciunt, & lac gignunt, extergendiq; facultatem obtinent. Nigra medicamentoſam uim habent: urinam enim uehementiſsimè mouent, & calculos renũ & ueſicæ frangunt. Nullum uero legumen ſic ut Cicera, præcipuè autẽ nigra & parua, lapides frangere poteſt. Id uerò magis eius ius, quod tamen ueſicæ morbis ſupra cætera legumina officit. Cicera uerò rubra calidiora & craſsiorũ ſunt partium quàm alba. Omnia autem urinam ducunt. Madefacta nocte una in aqua & ſumpta, lumbricos eiiciunt, ſed qui utitur ſex ieiunet horas oportet. Impoſita ut cataplaſma parotidibus, molliunt & diſcutiunt tumorẽ. Farina horum aceto ſubacta, & ſcabioſis inuncta prodeſt. Ius eorundem ictericos iuuat, & urinam albam reddit. Oportet uerò iis neque ante cibum, neque poſt uti, ſed in medio.

DE ECHIO.

CICER
NIGRVM.